COSMETICES PARTICVLA obiter adjecta.

A IOANNE STEPHANO Iatrophysico Veneto.

IO. BAPTISTÆ DOLEONO Medico,

Non minùs utraque virtute, quàm genere nobilissimo.

IO. STEPHANVS S. P. D.

DEcreveram hanc medicinæ partem, quæ deformitates abolet, ab Authore prætermissã, silentio præterire, tuis tamen

tamen hortatibus excitatus (tanta est in me authoritas viri) non potui, quin tibi de me optimè merito essem obsequiosus, & morigerus etiam cum nominis detrimento. Æquo igitur animo suscipe, quæ biduo quam festinantissime exaravi, nè Typographi rebus ad calcem properantis mora detrimento esset. Si quid hiat, aut protuberat, mea quidem culpa effectum erit, sed tui causa, cuius erit post hac condonare, & parcere. Interim scire licet, Cosmeticen à Commetice differre, veluti Philosophus à Sophista; Illa nativam pulchritudinem tueri nititur; & fœditates, nævos, verrucas exigit: Ista fucatam, & adulterinam speciem arte inducit, ut fallat. Hac utuntur Mangones ad pellices, quas prostituunt, comendas. Illam colere fas est, istam nefas. Prophylactica, quibus canicies retardatur, & reliqua oris vitia tolluntur, ad Cosmeticen attinent. Hìc verò nos externa dũtaxat meditamur, quorum experimenta tulerunt majores, quæ tutius adhibeas, expiato ritè corpore. Vale Asclepiadarum decus. COS.

COSMETICES PARTICVLA obiter adjecta.

A IOANNE STEPHANO
Iatrophysico Veneto.

(o)

Ad Caniciem retardandam.

SI quis mithridatica antidoto, aut conditis myrobalanis post Φλεγμαγώγων usurpationem frequens utatur, subinde oleo caryoph. chymico ablutum caput sæpiùs oblinat ammixto nardino, canitiem seriùs accedentem experietur, mirum enim in modum hujusce olei lentor insitum capillorum calorem tuetur, canescunt enim ex situ quodam, & pituitatis proventu.

Mag-

Magnum in hanc rem momentum conferre lac caniculæ, testantur quidam, si indè crebrò capillitium colatur.

Ad tollendam canitudinem ex metu, mœrore, curis ocyùs occupantem.

Septembri mense virentis Nucis latentem in terra radicem cassiuscula cæsim secato, tum sublata particula secta in obtruncatam radicem figulinum vitreum vas oleo plenum aptè intrudito, adeò ut totus caudex oleo madescat. Subinde vasis osculum ita obturandum, ut nihil expiret, aut intrò subeat. Quo facto totum vas panno involvendum, & terra leniter aggeranda, ut omnino obtegatur vasculum, quod ita relinquendum est, donec iterum Nux virescat, tunc vas sensim, molliterque subducendum. Detecto

tecto ore invenitur oleum aterrimum succo nucis perpetuos novem menses in illud emanante.

Ex hoc scrotum studiose, ubi homo in balneo sudare cæperit, inungendum, & continenter testes in id ipsum immergendi, nam ad universos pilos universim denigrandos istud apprimè facit, sufficitque si quis quotannis semel hoc auxilio utatur, nam vim testium in totum corpus transferri, pilorumque causam esse, argumento sunt Eunuchi, qui nec calvescunt, nec barbam emittunt.

Skenchii.

Huc facit pulviculus ficulneus ol. chamæmel. subactus, & comæ inductus

Vel

℞. Gallarum omphacitidum unc. 4. Coquantur in sartagine ex comm. ol. tamdiù, donec universæ gallæ tabefactæ dissolvantur, tum lineo occlusæ ita disponantur, ut imcúbant fiscellis

fiscellis noctem integram, postea in cupreo vase contusæ redigantur in pollinem, & siccentur. Queis dein adjiciantur squammæ æris unc. 1. Alcannæ, fol. Ligustri pulv. ana unc. 2. pulv. Carioph. drachm. 2. Pulvis projiciatur in figulinum vas montano repletum vino, quibus postremò addantur Aluminis rochæ unc. 2. corticis granatorum, nucum viridium ana drachm. 1. Roris marini, salviæ ana m. ff. omnia misceantur, & coquantur ad dimidias. Hoc vino cæsaries abluenda, subinde oleo caryophyllorum chymico sublinenda. *Capivaccei.*

Ad Alopecias, & Capillorum defluvium.

℞. Murium domesticorum ustorum, panniculi ampelini, id est linei usti, adipis ursini, cervinæ medullæ, cort. calami aromat. parem modum. Arida omnia lævigentur, & melle

 suffi-

sufficienti permixto, ad melliginis normam redigantur, subinde adeps, & medulla liquata adjiciantur, & pharmacum in ærea pyxide servetur. Ex eo alopecia, donec capilli renascantur, sedulò fricetur, aut profluæ comæ radix illita uvescat. *Gat.*

Vel

Coquantur grana juniperi, ladanum, absynthium, adianthon ex vino & oleo myrthino, simul mixta madescant integram hebdomadam, tũ recoquantur ad vini consumptionẽ, & percolentur, validèque exprimãtur. Colatura servetur in usus, qua detonsi coma obungitur.

Vel

℞. Amygd. amar. cum suis cort. crematarum, Rad. arund. ustarum partes æquales, subtiliter pulverizẽtur, & ursino adipe excipiantur, & asperiore lineo confrictum caput oblinatur. *Amati.*

Vel

Succus Nicotianæ capiti illitus mi-

mirandum in modum Alopecias submovet. *Zacuti.*

Plinius lib. 28. c. 11. ait cinere genitalis asinini spissari capillum, & à canicie vindicari, si rasis illinatur plumbo tritus cum oleo. Eod. c. tradit Plin. caprini, vel hircini cornu scobibus, vel cinere addito nitro, & tamaricis semine, butyro, oleoque, priùs capite raso, mirè fluentem capillum contineri, sicuti ex carnis cinere ex oleo illito supercilia nigrescere.

Ad Alopeciam ex lue Venerea.

℞. Pulv. corticis Guajaci, abrotoni usti ana unc. ß. Decoct. primæ Guajaci unc. 4. ol. amygd. amar. ana unc. 2. bulliant horis 12. in duplici vase, servetur pro litu, interim D. ligni sancti utendum.

Ad barbam segnius erumpentem.

℞. Combustarum apum cineris, stercoris soricis quãtumlibet, his addas avellanæ, castaneæ, dactylorum, cinerem; hæc omnia commiscentur cum ung. rosato, & concinnatur linimentum. *Io. Bapt. Portæ.*

Huc faciunt ol. ovorum, Ladanũ oleo rosato, aut mastichino permixtum: siccatarum apum pulvis, oleo, vel melle ammixtus: Aqua ex favo mellis distillata: Pulvis cap. leporini usti cum urfino adipe. Muscerda trita cum oleo nucum. Hippocampi cinis commendatur eo oleo illitus. *Dioscoridi.*

Vel

℞ Euphorbii, Thapsiæ, Baccarũ lauri an. unc. ſſ. Ellebori nigri, & albi, Sulphuris vivi an drach. 2. excipiantur ol. lauri, & cera; fiat ung. *Serapionis.*

Ad

Ad lentigines.

Bulbi cum vino, & cymin. cocti delent lentiginem ex Plin. Idem præstat Eruci semen ex aceto tritum Huc facit ol. myrobalan. vesperi illitum ori, quod mane furfurum decoctione abluēdum. Nec minùs succus bryoniæ cum melle alitus.

Vel!

℞. Farinæ erui L. 1. semin. erucæ, amygd. amar. rad. cucum. agrest. an. L. ss. lævigata mulso liniantur. Huc facit & leporis pinguedo allita, & vinum, in quo sit suffocatus stellio.

Ad universas faciei maculas delendas, & decorem conciliandum.

Mirandum in modum confert Aqua ex duratis ovorum albuminibus, exemptis vitellis, chymico more stillata. *Forestus.*

Ad varos, seu tonthos.

℞. Amygd. amararum. sem. mẽ-lonum ana drach. 6. Contundantur in mortario, dein affundatur succus alumine fiat linim.

Vel

℞. Cochleas marinas, quas Myrobrechii ad perpolienda carbasa exponunt venales, immitte in limonũ succum & fine, donec testa absumatur in limum redacta, hoc vari collinantur.

Vel

℞. Sublimati præpar. loti unc. 1. olei amygd. dulc. unc. 1. M. in vitreo vase super calidos cineres; dein ℞. Olei amygd. dulc. unc. ſſ. remisce cum illo oleo sublimato, subinde adde succi limonum, plantaginis, acetosæ, aquæ ros. an unc. ſſ. omnia commisceantur cum album. ovi agitato, donec ritè, concorporentur.

Hoc

Hoc litu nil præstantiùs. *Falloppii.*

Ad faciem flammeam, ficis conspersam.

Confert lac virginale, unguentum de lithargyro, de ceruſſa, addito hydrargyro ea proportione, ut ſingulis unguunciis addatur argenti vini ſaliva aut ſucco citri extincti drachma una.

Vel

℞. Tartari calcinati L. 1. maſtiches drach. 2. pinſantur cum albuminib 9 ovorum, & reponantur in vaporario, hinc deſtillatus liquor ſervetur in uſus.

Riolani.

Ad rubram vitiliginem.

℞. Albuminum ovorum num. 100. vitrioli albi Rom. pulverizati unc. 1. mandentur vaporario, & ſtilla-

stillatitia aqua adhibeatur. *Foresti.*

Vel

℞. Sulphuris unc. 1. cerussæ lotæ dr. 2. succi limonum quartarium, applica vesperi, & mane ex furfurum decoctione faciem ablue.

Vel

℞. Ol. de tartaro, rosarum an unc. 3. succi oxylapathi, lauri, serpentariæ an. unc. 4. cerussæ unc. 1. ss. lithargyri auri unc. 2. argenti vivi extincti unc. 1. ss. radic. asphodeli ustarum sub cineribus unc. 2. misce fiat linimentum in plumbeo mortario. *Foresti.*

Ad faciei rubedinem.

Nuclei pinei recentes pinsantur, & ex lacte percoquantur, & aq. rosacea. Hinc supernatans pinguedo colligatur post refrigerationem, quæ cum tepente lacte commisceatur, & ex eo facies abluatur; certò enim curat.

Vel

℞. Camphoræ drach. 1. boracis drach.

drac. 2. farinæ cicerum rubeorum drach. 4. confice cum succo citrangulorum, & melle, faciem injunge, & mane ablue ex lacte Asellæ. Hoc facit aqua fumariæ. *Bayri.*

Ad Ephelidas.

Confert aqua ex floribus fabarum, nymphææ, liliorum alborum destillata addendo melonum semina, item fragorum aqua, acetum destillatum, ungu. citrinum. Lapis Pyrites accuratissimè tritus super porphyritē, & cum aceto illitus deterget morpheas, albaras, lentigines, ac reliquas faciei maculas.

Vel

℞. Cerussæ, Cāphoræ an dr. 1. elaterii dr. 2. agita mortario plumbeo pistillo plūbeo addito aceto, donec redigantur in ungu. formam, tum serva per 12. dies in vitreo vase, iterum q' e in vase plumbeo addito aceto subige.

Hoc

Hoc delet omnes oris fœditates *Bayri.*

Huc facit oleum de Been cum aceto conquassatum maculis illitum, aut etiam ulcerum vestigiis, ea enim mirè obliterat.

Ad Vitiliginem.

℞. Farinæ lupinorum, sem. melonis deglubitorum ana dr. 3. farinæ fabarum, orobi, cicerum alborum an. dr. 2. farinæ lentium ex cort. hordei ana drac. 1. sem. raphani, amyli, tragacanthi an. dr. ß. croci gr. 4. terantur, & cum lacte confecta ori inducantur vesperi, oriente Sole facies abluatur decoct. sem. melonum, & violarum· *Bayri.*

Huc facit farina lupinorum oxymelle excepta, cort. rad capparum aceto permixtus. Gordonius maculam folio ficus, aut lineo asperiore perfricat, subinde olide tartaro oblinit.

Ad

Ad Pustulas.

℞. Pulv. muris combusti, & illine una cum oleo.

Vel

℞. Aquæ liliorum alborum, sambuci, nenupharis an l. 1. ossis Sepiæ, lithargyri argenti, lapidis calaminaris an. unc. ß. salis ammoniaci an. dr. 2. caphuræ scrup. 1. M. & tribus elapsis diebus colentur, & serventur in usus. *Foresti.*

Ad Impetiginem, sive Lichena.

Confert oleum è vitellis ovorum, de tritico, de tartaro; sulphur, aut alumen dilutum tepente ros. aqua.

Vel

℞. Spumæ argenti unc. 1. teratur cum oxyrrhodino, vel acriores impetigines, & psoras sanat.

Ad

Ad feram impetiginem.

℞. Sulphuris vivi, auripigmenti rubri an. unc. 1. redigantur in pollinem & cribro trajiciantur, succo fumariæ pulvis excipiatur, fiant, trochisci, misceatur ung. citrino.

Gordonii.

Ad Verrucas.

Verrucæ uruntur sarmento ignito, & subinde circumlinuntur succo chelidoniæ, aut tithymali; certo experimento tolluntur.

Ad Ambustos.

Linimentum ex ceruſſæ, & olei ros. æquis partibus mirandum in modum confert. *Riolan.*

Vel

℞. Muccag. sem. cydon. tragacanthæ an unc. ſſ. olei ovorum, nenupharis an. unc. 1. m. f. linimentum. *Fernelii.*

Vel

Vel

Albumina ovorum agita cum oleo rosac, & line. Huc facit oleum è vitellis ovorum in mortario plumbeo diù agitatum plumbeo pilo. Populeum recens nec minùs valet.

Riolani.

Vel

Pinguedo suilla exuritur, ardentes, & deciduæ guttulæ pelui supposita excipiuntur, in qua lauri folia sint disposita, exusta folia tandem cinerescunt, & ex hoc cinere, & unguine refrigerato conficitur linimẽtum certo periculo mirabile.

Amati Lusitani

Ad delenda variolarum vestig.

℞. Lithargyri auri subtiliter puverizati L. ſ. ponantur in sartagine, relinquanturque donec igneſcant, non intermissa agitatione, cùm verò ignem conceperit lithargyron, subiice aceti albi acerrimi L. 7. subagitẽtur modicum, & colata ſerventur.

Accipe huiusce aquæ quantum vis, & misce cum succo limonum modico. & subline particulam, exactaque hora mica panis unà cum farina amygd. amararum per fricam oblitam partem, & subinde ablue.

Epiphanii Ferdinandi.

Vel

℞. Ol. Liliorum l. 2. pingued. unc 4. ol. ros. unc. 1. laventur diligenter ex aqu. ros. & liliorum, dein quatuor ovorum albumina recentium cũ testis parentur, ut ad ignem obdurescant, tum m. in mortario cum reliquis, quibus adde amygd. dulc, & amar. ana vnc. 1. unà omnia concorporentur, & fiat linimentum.

Foresti.

Ad cicatrices delendas, & dealbandas.

Cicatrices delet adeps anatis, asselli cum ol. amyg. am. mixtus, sudor resolutus ab assato ovo recenti, caseus salitus cum melle superpositus, myrrha dissoluta in ol. lini. Huc spectat

& at humana pinguedo, & oleum ceræ tantopere a chymicis commendatum. *Vel.*

℞. Aquæ-vitæ quater ad minùs destillatæ partes tres, summitatum flor. anthos partes binas, reponantur in amphora per diem naturalem ore benè obturato, mox aquæ & flores ex arte vaporario commissa stillabunt. *Foresti.*

Ad obesitatem tollendam.

Nihil peræquè profuerit, atque scyllinum acetum ieiuno quotidie devorandum.

Ad labiorum asperitatem & fissuram.

Tolluntur pinguedine gallinæ, aut recenti butyro.

Ad palpebrarum rubedinem.

Oblinantur palpebræ aqua ros. vel plantaginis, in qua ferrum candens, vel olibanum fuerit sæpius extinctum, vel iisdem aquis infunde aluminis scrup. 2. vel duo, vel tria vitrioli grana in aquæ plantag. unc. 2.

Ad palpebrarum inflationem.

Tollitur fotu ex decoctione florum chamæmelli, maioranæ, euphrasiæ, semin. fœnugræci, cymini.

Ad Salicium.

Valet litus ex cinere apum, vel muscerda, exceptis melle. Vel avellanæ urantur, pulvis pinguedine ursi, aut capræ misceatur.

Ad ungues malè coloratos, aut ex contusione liventes.

Resolvatur humor concretus, farina lupinorum, ervi, oxymelite excepta, aut pinguedine capræ cum sulphure mixta. Quo remedio ni dispareat fœdus color, ut humori pateat exitus, perforetur unguis in medio, cavendo, ne caro attingatur, quia excresceret, pterygionque excitaret, ut autem per foramen humor corruptus, expiret emplastrum metasyncriticum; superponendum, confectum ex fermento, & aristolochia, aut ex pice, & dictamno.

Ad

Ad vngues leprosos.

Hac methodo leprosi ungues curantur. Primò emolliuntur ung. Dialthæa vel Agryppæ; dein cultello, vel vitro sensim abraduntur, quod supereſt, curandum, ut cadat emplastro ex fermento, & cantharidibus appoſito cum abſceſſerit, pars fovea tur vino decoctionis gallarum, malicorii, nucum cupreſſi, ut roboretur tandem, ut novus generetur, apponendum emplaſtrum Diachalciteos.

Ad dentes dealbandos.

℞. Teſtæ oſtreorum uſtæ unc. ſ. corallii, cornu C. uſti, ſalis gemmei ana unc. ſſ. pumicis, & oſſis ſepiæ an. dr. 2. nucis moſch. ſcrup. 1. mochi gr. 3. m. f. pulvis.

Riolani.

Ad dentes mobiles.

Dentium mobilitati confert acetum ſcyllinum collutum, item aſininum, lac, decoctum corticis ulmi. Quod ſi mobilitas accidat ex venerea lue, conducet oleum chalcanthi

una cum oxymel. & aqua plantaginis collutum.

Holleris.

Ad dentium corrosionem.

Dentium corrosioni prodest ex Græcorum, & Arabum consensu, præmissis generalibus, quæ peccantem humorem, ut salsam pituitam purgent, vel utramque bilem, nigellæ Romana ex aceto trita, & denti immissa. *Holleris.*

Vel

Camphora in perforatum dentem indatur, vel cyperus una cum mastiche intrudatur *Avicenna.*

Atque nos hæc hactenus. Qui plura cupit, adeat Rondeletiũ, & Alex. Pondemontanum, qui accuratè hoc argumentum triverunt.

FINIS.

IOHAN-